

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis ſextâ Aprilis



M. ALEXANDRO MICHAELE DENYAU, Doctore Medico Conſiliario Lectore & Profeſſore Regio, Præſide.

An oculi ſint pathematum idola?

I.

ANIMA eſt actus primus corporis organici poteſtate vitam habentis: hæc non agit independenter à corpore quod vitam habet ab anima, à qua differt, ut accipiens à dante: Itaque anima eſt forma corporis. Quidquid eſt actus eſt forma, quidquid facit ut res quæ poteſtate erat ſit actu, eſt actus; animus adeſt ante ſuas operationes, ut in ſomno & vigilia videre eſt. Nam ſi animal dormit habet animam & tamen non operatur: ſi poſtea evigilat operatur. At vero illius operatiónes aut bonæ aut malæ à temperie & conformatione partium ineluctabiliter dependent. Homines brevi collo & thorace anguſto perfidi, iracundi; capite rotundo indiſcreti, furioſi, ſpiritibus in gyrum violenter agitatis. Ex oculis phyſiognomus infinita propemodum inditia depromit. Oculi ſunt viſionis organum, cujus objectum eſt omnium nobiliſſimum, lux nempe qualitatum omnium puriſſima, per univerſum terrarum orbem diffuſa. Theophraſtus formam hominis in illis collocabat tanquam animæ ſpeculum, internum intelligentem ſignificans. Omnia objecta in globo continet & defert ad cerebrum, ubi dijudicatur de illis.

II.

OCULORUM ſtructura omnem ſuperat admirationem: in prima faciei regione infera & ſecunda, ſupera oſſibus undique circumvallata, membranis, muſculis & humoribus mirificè diſpoſita. 1°. Conjunctiva album oculi operit illumque ſuſpendit. 2°. Cornea conſideratur anteriùs, tenuis, pellucida, & valida; poſteriùs craſſa, fortis, nervoſa. 3°. Wea eam intus circumveſtit, omnes humores continens, anterius perforata ubi pupilla mobilis, dilatatur & conſtringitur, variè colorata pro objectorum varietate, per pupillam recipit omnes colorum ſpecies mediante lumine quæ refringuntur tribus oculi humoribus. Aqueus temperat, Cryſtallinus recipit, Vitreus reflectit, ſicut hydrargyrus domeſticis ſpeculis admota; hi duo ultimi, membranâ peculiari involvuntur: muſculi oculorum ſex, quatuor recti motibus rectis deſtinati, obliqui duo oculum obliquè circumferentes: ex motibus horum muſculorum facile infertur eos eſſe pathematum idola, primus attollens & ſuperbus nuncupatur, ſecundus deprimens & humilis, tertius adducens & bibitorius, quartus abducens & indignatorius. Duo oblique circumagentes amatorii, & in amore duces.

III.

DEFORMIS facies rarò arguit bonos mores. Diſtortum vultum ſequitur diſtantia morum. Vultus ſermo quidam tacitus mentis eſt. Facies eorum qui bene nati ſunt talia eſt ſcilicet mediocris in genis & temporibus; vergens ad pinguedinem talis eſt verax, amans, intelligens. Oculi ut corpus, corpus ut anima ſe habet; quandoquidem anima quemvis alium ita videt in oculis, ut ab eodem viciſſim in iiſdem videatur. Oculi fixi, qui alternatim palpebris cooperiuntur, cogitabundum & melancholicum denotant. Ex oculorum inditiis φυσιογνῶμον ſententias ſuas confirmat; quoniam ſigna quæ in oculis cernuntur, imagines affectionum cordis & animi ſunt, ut tribulatio, hilaritas, amor odium &c. Aſinini oculi inſipientis & duræ naturæ, ſunt enim ſiccæ & frigidæ complexionis. Oculi in capite quaſi abſconſi, intus concavi vident longius & arguunt perverſi moris hominem. Oculi moventes ſe in gyrum uniformiter malos mores indicant, viros ſceleratos, facinoroſos & vene-

ſicos, deceptores ; qualis Thieſtis & Thiereus & Medea quorum filii etiam laniati ſunt manibus parentum. Oculi habent tantas colorum varietates quia diaphani ſunt & raræ ſubſtantiæ & quia ex aqueis humoribus conſtant. Idcirco ſpiritus viſivi oſtendunt ſuas in oculo qualitates: ut mulier menſtruata maculat ſpeculum, puerulos in cunis inficit & oculis ſanis interdum nocet. Vetula teneros faſcinat agnos.

I V.

MIRABILI partium omnium conſenſu & temperie vitæ functiones perficiuntur ; unde infinita ferè emergit morum & ingeniorum diverſitas τὰ ἴχοντα ἐνιχόμενα, ϗ ὁρμῶντα συμμέτριαι functionum humanarum abſolvit. Cordi & arteriis manum admove, animam contrectabis ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα, magna ſpirituum copia ex oculis erumpit unde viſio recipiendo tantùm aſſirmatur pyramidaliter ſecundum objecti diſtantiam: quia ſenſio omnis cum ſit affectio, ſola receptione fieri debet; ſic auditus ſoni, odoratus odorum, guſtus ſaporum, tactus qualitatum tractabilium ſola receptione fiunt. Intra oculum nihil videri poteſt, Ariſtotele teſte, ſenſile poſitum ſupra ſenſorium ſenſationem non facit, neque enim inſtrumentum & objectum idem ſunt. Quinetiam tria requiruntur ad perfectam viſionem objectum medium & inſtrumentum. Hæc tria ſi alterentur, ut in ægrotantibus tunc imaginationes perverſæ figuram, ſitum magnitudinem, & varios colores aſpiciunt, quæ omnia intra oculum ſunt, non in aëre, phrenetici muſcas venantur, floccos carpunt, feſtucas avellunt a falſis ſpectris terrentur & perhorreſcunt. Viſa hæc non oculi, ſed cerebri & imaginationis graviſſima ſunt ac ſæpenumero lethalia ſymptomata icterici ictericos alios putant.

V.

EX omnibus corporis partibus judicatur de homine. Unde Metopoſcopi, Chiromantici ex variis lineis regulas ſtatuerunt tùm habita ratione morum, longævitatis, & valetudinis. Sed nihil præſtantius emicat quam in oculis. Quorum motus à muſculorum & opticorum exortu unione & inſertione dependent, nervi optici & motorii à baſi cerebri procedunt, at motorii ramulos per palpebras

mufculos & membranas differminant, tantâ diligentiâ agunt & æqualitate, ut facile fit percipere animi intentiones. Sunt molliffimi optici, porofi, non cavi, ne fpiritus viforii fubtiliffimi diffipentur. Unio in principio ad juftam vifionem erat omnino neceffaria, & in itinere bifidi fiunt & inferuntur in medio corneæ tunicæ, ubi vifilium fpecies & fimulacra recipiunt folius facultatis luminis interni; fpiritus quippe vifilis delator conftituitur: fitu æquali ut viforiorum conorum axes in uno eodemque plano collocari oportuit, ne objectum quod unicum eft duplex appareat. Denique oculi funt cuftodes hominis, ut fugiat pericula, & profequatur quæ ipfi fœliciter ceffura funt; hinc tot actionibus defungitur, Manus habet ad ejus defenfionem, fed ab oculis moventur, in quibus interiores cerebri cogitationes fubitò percipiuntur.

Ergo oculi funt pathematum idola.

Proponebat Parifiis CLAUDIUS TRICHARD, Pacicus Ebroïcenfis, A.R.S.H. 1700.

Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.